





6

1709, 4<sup>e</sup>

van Stahl 22

Fürstenau, Joh. Henr.

Hoffmann [nach Plouquel's bibl. med.-pract.  
Suppl. II S. 150.]

PROPEMTICON INAUGURALE  
DE  
**DOCTA MEDICO-**  
**RUM IGNORANTIA.**  
PRÆMISSUM DISSERTATIONI  
SOLENNI  
DE DESIDERATIS ANATOMICIS.

Ao

18. 11. - 3.



Octam dum loquimur ignorantiam, quilibet facile animadvertis, nihil hic nobis rei fore cum rudi illa & nunquam satis detestanda Empiricorum, medicorum se associantium lateribus, ignorantia. Quin illius potius ignorantia, quam vel doctissimi & rerum suarum optime satagentes, superares haud valent, quædam pro instituti ratione afferremus exempla. Agmen horum suo quodam ducere videtur τὸ θεῖον. de hoc enim verisima sunt verba SYDENHAMII Opusc. p. 619. *In acuis quibuslibet atq[ue] in chro- niciis pleriq[ue] omnino fatendum est, τὸ θεῖον inesse, sive specificam pro- prietatem aliquam, quam nulla unquam contemplatio à speculazione corporia humani deducta queat indagare, atq[ue] in lucem protrahere.* Huic merito ad latus jungimus investigationem causæ pro- ximæ & primo-prima in morbis tantum non omnibus, ut pote quam qui indagare animum inducunt, nihil magis ef- ficiunt, quam ut meras proferendo conjecturas, ludibrio & risui intelligentium semet exponant, id quod, si quisquam alias, probe perspiciens BAGLIVIUS Prax. Med. p. 214. Latet, inquit, qualismam sit, qualiterq[ue] se habeat textura minima ac mor- bosa sanguinis, dum homo febricitat, dum pleuritide, apoplexia, delirio, aliisq[ue] morbis laborat, & quenam sit causa illa primo - prima & proxima, que singulas in actum dedit. In morbis enim sive a- cutis sive chronicis producendis viget occultum quid per humanas spe- culationes fere incomprehensibile & nisi juvantum & ledentium te- stimonio in illius cognitionem perveniamus, admicula mentis irri- ta prorsus experiemur. conf. SYDENHAM. Præfat. Opusc. premis. Porro Eruditioni Medicorum nullum prajudicium ignoran- tiam artis illius divinatricis, qua ex pulsu tanquam ex tri- pode

pode omnia morborum phænomena eruere dicuntur Sinen-  
sium Medici, asserere haud dubitamus. Quam in rem satis  
eleganter CL. SCHELHAMERUS disq. de Pulsu p. 62. sermo-  
cinatur: Primo statim intuitu apparet, inane esse commentum &  
rerum natura è diametro adversum, quod de Sinenium Medicis non-  
nulli, qui ejus regionis descriptionem dedere, narrare solent; Ajunt  
isti, ubi ad egrum vocati accedunt, lecto asidentes per hora dimidi-  
um nil agere, quam ut pulsū explorarent, quo factio torius morbi ini-  
tia & causas, singulorumve dierum accidentia ac symptomata omnia  
ad illam usque boram qua contigerint quem accuratissime enarrare.  
Quod sane nisi magicis artibus ab ipsis peragatur, aut fraude, quam  
sle adovatōv, cum nulla horum omnium cum pulsū sit cognatio,  
nemo est, qui non queat cernere. Sic etiam magnum eruditio-  
nis momentum vulgus ponit in Medicorum Vespasianeon-  
rum æmulis, ut apposite vocantur à MONTANO Consil.  
137. qui ex urina, tanquam ex speculo nunquam visis iis  
quorum urinæ sunt, non solum statum corporis sanum vel  
morbosum, sed etiam ætatem, sexum, graviditatem, ac fili-  
ane an masculus utero geratur, se venari posse glorianter;  
in quorum quidem jactantia refellenda tanto minus labora-  
re necessarium ducimus, quanto firmius aliam longe men-  
tem omnibus medicina Rationalis sectatoribus esse, confi-  
dimus, utpote qui probe edocēti sunt, urinæ inspectionem  
signum esse in plerisque morbis fallacissimum, atque ex ea-  
dem, præter viarum per quas fertur, & fontis è quo emanat,  
vitia, nihil certum & infallabile de partibus v. gr. solidis &  
remotissimis locis perspici atque colligi posse. Unde neque  
hoc doctrinæ, genuinorum Artis filiorum quicquam dero-  
gare palam est, si à CL. WEDELIO didicerint, quod præ-  
stet ex urina judicare interrogando quam decidendo; ad  
lectum, quam domi; nota quam ignota. Porro huc omni  
jure spectare arbitramur ignorantiam alicujus panaceæ, vel  
medicamenti cuiusdam universalis, quo mediante omnia  
omnium morborum semina in prima herba radicitus tolle-  
re, Balsamum vero innatum ac flammulam vitalem in per-

petuo vigore conservare liceat. De quo placet transcribere  
 verba B. LUDOVICI, quæ Pharm. mod. p. 89. leguntur: E-  
 quidem credimus, dari posse arcanum aliquod insigne torius cor-  
 borativum, vel mundificativum complurium morborum solamen: nec  
 vires tot secretis, quasi alcahestinis, maturis & immaturis, electriss,  
 panaceiis, azothphalagii, arboribus vite, Mercuriis philosophorum  
 Quintessentiis veneris, auro potabili &c. modeste assignatas simpliciter  
 hic & precipitanter elevamus, si talia rito preparata & circum-  
 stetio suo quodvis in genere data fuerint. Dum autem prius qui-  
 dem ultra modum extenditur & plane catholicum dicitur ac singulur;  
 reliquis vero nimium plurimque tribuitur - dum mage proficia ex  
 his ut plurimum data opera obscurantur, vel cum Elie Artifice ad-  
 ventu demum expectantur -- alia vero partim nihil magis catholi-  
 ca sint, quam ptisana, omnibus olim morbis indifferentes apta, & si  
 persuasiones hyperbolemq; demas, haud adeo notabiliter vel directe  
 juvavit; partim instar nudi tantum diaphoretici, aperientis aut si-  
 gentis agit, cui paria sepe in domesticorum vulgariorumque serie in-  
 venias; proinde tantum abest, ut eam pro huiusmodi quasi catholica  
 ad morborum interitus graffandi viam cuicquam commendemus &c.  
 Denique cum vera doctrina medica pugnare haud putamus  
 carentiam Specificorum, h. e. talium remediiorum quæ in  
 hoc vel illo morbo indifferenter & promiscue, quovis tem-  
 pore & modo data, infallibilem opem præstent. Evidem  
 CL. SYDENHAM. Praefat. Opusc. hæc talia ad desiderata re-  
 fert, ac fore aliquando sperat, quo ejusmodi remedia tan-  
 topere quæsita, tandem innotescant. At, quod pace Viri  
 hujus dixerim, nunquam fortassis aureum ejusmodi secu-  
 lum expectandum erit. Imo vero hac ratione nihil facilius  
 esset, quam medicinam ex arte facere, cuius scientia tantis  
 hodie impensis tantoque labore acquirenda est illis, qui ad  
 genuinæ, & solidæ eruditioñis æxpiñ quendam aspirant.  
 Et hi quidem optime noverunt (en doctam ignorantiam)  
 diversissimas esse morborum causas, & quoad ætatem sexum  
 &c. notabilem occurrere in medendo differentiam, quibus  
 proinde non uno remedio, sed alio atque alio obviare eun-  
 dem

\* (5) \*

dam est. Ut taceam, ipsos summos specificorum patronos non diffiteri, eadem licet optima, non tamen, nisi præmis-  
sis universalibus, singularissimis observatis circumstantiis  
&c. optato suo effectu bearci. Poterant enim hactenus dicta  
specimen præbere eorum, quia vel eruditissimi eo quod  
non sint in Artis potestate, ignorant Medici. Sed & multa  
alia adhuc ignorant, ob temporum infelicitatem, in quibus  
tamen excutiendis eo minus laboramus, quod eadem ex  
parte in dissertatione Inaugurali sibi pertractanda sumserit  
is, qui publicam à nobis expectat commendationem claris-  
simus doctissimusque

Medicina Candidatus

## JOHANNES HERMANNUS

### FÜRSTENAU,

Natus is est Herfordiæ, non postremo Westphaliæ oppido  
A. O. R. clo clo CLXXXVIII. M. Majo. Patre Viro pl. Reveren-  
do M. JOHANNE FÜRSTENAU Ecclesia Palæopolitanæ  
laudati oppidi Pastore vigilantissimo, Matre MODESTA  
ELISABETHA, Dn. JOH. ADOLPHI BARCKHAUSEN,  
b.m. J. U. D. & Sereniss. t. t. Elect. Brandenb. Judicis, nec non  
dicasterii ejus loci Praesidis, filia. Suscepitorem ex sacro  
Baptismatis lavacro habuit Virum summe Reverendum HER-  
MANNUM BARCKHAUSEN S. S. Theol. D. Sereniss. Duc.  
Brunsvic. & Luneb. Consiliarium Ecclesiasticum, Pastorem  
Aulæ primarium, itemque supremum ecclesiarum in diœce-  
sibus subiectis Inspectorem ac Superattendentem Episcopatu-  
mum Osnabrugensis nec non comitatus Diepholensis opti-  
tus Quam-  
me meritum, dudum cœlitum numero adscriptum. Quam-  
primum per ætatem licuit, Præceptorum domesticorum æq;  
ac publice in Gymnasio patrio docentium curæ fidelissimæ  
commisus omnibus & singulis industriam pariter ac bonos  
mores à prima usque infantia comprobavit, eoque ipso il-  
lorum benevolum in se animum haud difficulter concita-  
vit. Imprimis vero gratisima recolit mente prolixum il-

lum affectum, quem à Viro CL. M. THOMA MULLERO  
 Gymnasi Patrii Rectore, Patrono & Agnato suo honoratis-  
 simo expertus est. Hic enim cum nostrum ad Hygiez sa-  
 cra sua sponte ferri intelligeret simulque non contemendas  
 ingenii dotes in eodem observaret, dignum omnino judi-  
 cavit, qui non illotis, quod ajunt, manibus, ad Academias  
 provolare, sed bene preparatus easdem intrare majore cum  
 fructu posset. Ideoque per integrum biennium eundem  
 seorsim privatisima ad medicum pariter ac philosophicum  
 studium manuductione dignatus est, ea quidem ratione, ut  
 in utroque studiorum genere libros selectissimos eidem hu-  
 manissime suppeditaret, quo ex illis proprio partim marte  
 proficeret, partim etiam bonorum Autorum notitiam haud  
 vulgarem sibi comparare posset. Nec spem eventus desti-  
 tuit. Postquam enim sub ejusdem moderamine in solenni  
 panegyri laudes JOSEPHI I. moderni Romanorum Impera-  
 toris semper Augusti non sine Patronorum applausu sermo-  
 ne vernaculo ligato decantasset, An. clo lccvi. M. Mayo  
 Vitenbergam Saxonum ex decreto Parentis abiit, ibidemq;  
 fructus laudatae manuductionis sensit uberrimos, cum abs-  
 que ulla mora Dn. C. VATERUM primo omnium salutaret,  
 quem dd. integrum fere, quem vocant cursum per sesqui-  
 annum prælegentem sedulo audivit, ejusque individuus ex-  
 stit semper comes, quoties vel varia Brutorum genera ar-  
 tificiose dissecaret, vel in physicis experimentis instituendis  
 ac igne chimico regendo viam fideliter monstraret; multis  
 insuper magnisque ab ipso exornatus est beneficiis, quorum  
 memoriam semper sibi recentem mansuram, publice spon-  
 det. Neque vero temere occasionem prætermisit, qua vel  
 illustrem Archiatrum BERGERUM publice statum hominis  
 sanum & morbosum incredibili facundia exponentem mira-  
 ri; vel DN. SPERLINGII nunc Beati Botanicis in Horto A-  
 cademico institutis demonstrationibus interesse; vel DN.  
 WARLITZIUM ducem in decerpidis & colligendis Regni  
 Vegetabilis rhesauris sequi; vel denique DN. HEUCHERI  
 BREN-

\* (7) \*

BRENDELLIq; varias t. t. institutas acronses physico-medicas in usus suos convertere, integrum ipsi esset. Hisque omnibus juxxit DN. HENR. KLAUSING. Fautorem & ciuem suum estimatisimum quem integrum Marthaeos cursum fideliter exponentem pari secutus est industria. Postquam ita per annum cum dimidio in hac bonarum artium sede degisset, neque per medias Sueonum turbas musas tamen silere animadverteret, constituit secum, diutius in hoc emporio persistendi vitamque academicam in eodem finiendo. Mutato autem postea consilio partim ut desiderio celeberrimum audiendi WEDELIUM, partim etiam iteratis precibus Fratris suis Germani DN. JOH. ADOLPHI FürSTENAU. J. U. D. & Consulis ad clavum Reipublicæ Jenensis hodie sedentis, fieret satis, M. Sept. An. clo Iccvii. Jenam concescit, ubi postea sub hujus umbone laudatum WEDELIUM, tum publice Physiologiam Medicam & Methodum præscribendi formulas exponentem; tum privatim materia Medica thesauros non minus ad ductum Macassii recensentem, quam ipso opere ad oculum demonstrantem, nec non Politiam medicam breviter & succincte docentem strenue secutus est, ac præterea privatisimam ad praxin clinicam manuductionem, multaque alia beneficiorum genera accepit, quorum memoriam nunquam intermorituram promittit. Nec minus gratissimo agnoscit pectore singularem illum favorem, quem à DN. SLEVOGTO expertus est; praterquam enim, quod ex ejusdem demonstrationibus Anatomico-Chirurgicis hybernis, & Botanicis exercitiis variis extivis magna se haussisse fructum profiteatur: ipse quoque nostro, exercitamenta practica per casus petenti haud denegavit, quin potius una cum iisdem suam, qua felicissime utitur, medendi methodum, aliaque plurima beneficia impertivit. Parem deprædicat affectum à DN. HAMBERGERO tam in Lectionibus Mathematicis & Physicis curiosis, quam seorsim in humanissima admisione fibi præstum. Cum itaque & in hac Musarum sede per annum com-

mora-

\* (8) \*

moratus, profectus studiorum multum auctos haud vano  
judicio auguraret, vitæ Academicæ colophonem tandem im-  
positurus, Mense Septembri Anni præteriti consensu Paren-  
tis Fridericianam nostram accessit, ubi per elapsum semestre  
spatium, tum nostros, quantum per fata licuit, frequen-  
tit scholas, tum etiam Excell. D. STAHLII Collegio Casua-  
li-practicō, in quo per aliorum *τα ποπάγωτα* sapere docet,  
frequens interfuit, Revocatus non ita pridem domum à  
charissimis Parentibus, ut ea quæ à præclarissimis Præcepto-  
ribus hausit dogmata, in usum divina asistente Benedicione  
converteret; animum adjecit ad summa in Arte nostra ho-  
nores & privilegia capessenda. Adiit itaque Facultatem  
nostram, & ad examina consueta admissus abunde satisfecit  
expectatione nostræ, dignusque judicatus est, qui pro im-  
petrandis summis in Medicina Honoribus cathedram con-  
scenderet. Fiet illud ad proximum d. XIX. April. ubi de desi-  
deratis Anatomico-Physiologicis differet. Ad quem actum  
solennem, SERENISSIMUM PRINCIPEM SAXONIÆ, de-  
biti honoris ergo, Magnificum Pro-Rectorē, Proceres u-  
triusque Reipublicæ Cives, Hospites omnium ordinum ho-  
noratissimos, & quotquot arti nostræ favent, officiose & per-  
amanter invito. P. P. Halz. d. XVIII. April. MDCC IX.

L.S.

**ULB Halle**  
003 245 462

3



86-



6


1709, 4<sup>o</sup>

in Stahl 22

Fuerstenau, Joh. Henr.

~~Hermann [Nach J. Bouquet, bibl. med.-pract.  
Suppl. II p. 150.]~~

**PROPEMTICON INAUGURALE  
DE  
DOCTA MEDICO-  
RUM IGNORANTIA.  
PRÆMISSUM DISSERTATIONI  
SOLENNI  
DE DESIDERATIS ANATOMICIS.**



A0

18.11.1 - 3